DISSERTATIO
IVRIDICA INAVGVRALIS
DE
CONFVSIONE

QVAM

PRAESIDE

GEBHARDO CHRISTIANO
BASTINELLERO

SAC. REG. MAIEST. POLON. AC PRINCIPI ELECTORI
SAXONI A CONSILIIS AVLAE CODICIS PROFESSORE
PVBLICO CVRIAE PROVINCIALIS SENATVS ECCLESIASTICI
ET SCABINATVS ASSESSORE ATQVE ORDINIS
IVRIDICI SENIORE
IN ACADEMIA VITEMBERGENSI

PRO GRADV DOCTORIS
CAPESSENDO

AD DIEM XXI. AVGVSTI ANNO MDCCL
IN AVDITORIO MAIORI
HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS
SOLEMNI DISCEPTATIONI
EXPONET

CAROLVS FRIDERICVS TRIER
DRESDENSIS

VITEMBERGAE
EX OFFICINA SCHLOMACHIANA

Nazionale V.E. III NAPOLI Biblioteca

Digitized by Google

Digitized by Google

DE
CONFVSIONE.

§. I.

Quin duo ſibi oppoſita iura, quae ſimul et una conſiſtere nequeunt, ſiue, ut ita loquar, incompatibilia ſunt, quando quidem in unam perſonam incidunt et concurrunt, confundi dicantur, ſiue hoc concurſu euaneſcant, nemo facile in dubium uocabit. Itaque hoc loco *confuſio*, quae alias in natiuo et genuino ſuo *Confuſio deſcribitur.*

Digitized by Google

ſenſu ſignificat *coniunctionem corporum liquidorum*, deſcribitur generatim, quod ſit *modus quo mutua obligatio perinde, ac reciproca ſolutione, extinguitur*, uel ſpeciatim, quod ſit *actus, quo relatum et correlatum*, id eſt, *ius actiuum et paſſiuum*, ſiue *creditum et debitum, in unam perſonam coincidunt, et hoc ipſo ſe inuicem tollunt.* Res tamen nondum ſatis clara et perſpicua eſt, niſi etiam de horum iurium, item perſonarum, ſibi inuicem in illa ſuccedentium, qualitate, ac modo ſuccedendi, luculenter conſtet. Quapropter, operae pretium me facturum, exiſtimo, dum ad eam dicendi materiam breuiter illuſtrandam aggredior.

§. II.

Obiectum eius explanatur. Quod primum ad *iura confundenda*, ſiue *confuſionis obiectum*, attinet, *iſta ſibi inuicem relatiue oppoſita eſſe*, oportet, ut idem creditum,

tum, idemque debitum. Etenim actio et paſſio in uno ſubiecto, eodemque reſpectu, non ſubſiſtere, neque quiſquam ſui ipſius creditor ac debitor eſſe poteſt. Quare, ſi heres fiduciarius, deducta quarta parte reſtituere rogatus, hereditatem, priuſquam reſtitueret, hereditario debitori heres extitit, actio et obligatio, aditione hereditatis, ita confunditur, ut per Trebellianum ſenatusconſultum redintegrari nequeat, quamuis poſtea reſtitutio facta fuerit, Attamen heredi fideicommiſſario, cui actio ex teſtamento contra fiduciarium datur, ab iſto pecuniae debitae dodrantem cum uſuris praeteriti temporis, et poſterioris ob moram ipſius, ex cauſa fideicommiſſi petere, integrum eſt. *l. 58. pr. l. 80. D. ad SCt. Trebell.* Fiduciarius enim, utpote hereditarii debitoris heres, eiuſmodi debitum fideicommiſſariae hereditati ſoluiſſe creditur, *l. 41. §. 2. D. de Euiction.* at-

Digitized by Google

que ex praeſumta conuentione fideicommiſſario ad reſtitutionem partis ratae obligatur. Sic uenditor hereditatis, ex aequitate, actiones ſibi competentes, et per aditam hereditatem ipſo iure confuſas, ſaluas conſeruat, quoniam hereditatis emtor uicem heredis ſuſtinet, et idcirco uenditori hereditatis obſtringitur. Quod ſi etiam heres inſtitutus, adita hereditate, amiſit ſeruitutes, ex uendito poterit experiri aduerſus emtorem, ut ſeruitutes ei reſtituantur. *l. 2. §. 18. et 19. D. de heredit. uel act. uend.*

§. III.

Obligationes, aeque principales, concurſu in eandem perſonam, non tolluntur.

Contra ea, ſi duo iura, quae *nullum ad ſe inuicem reſpectum mutui crediti ac debiti* habent, in unam perſonam coëunt, alterum altero non perimitur. Id ipſum in *l. 13. D. de duob. reis conſtit. et l. 5. D. de fideiuſſ.* deciſum atque exemplis illuſtratum legimus. Ibi proponitur caſus

de

de correis, tam promittendi, quam ſtipulandi, quorum unus ex correis promittendi, ſiue debendi, alteri correo promittendi, uel unus ex correis ſtipulandi, ſiue credendi, alteri correo ſtipulandi heres extitit, et reſpondetur: duas hic obligationes eiuſdem poteſtatis, uel aeque principales, in defuncto et herede extare et eminere, ergo heredem correum duas has ſpecies obligationis ſuſtinere, neque reperiri poſſe, cur altera potius, quam altera, conſumatur. Duae enim obligationes, aeque principales, ſtare inuicem poſſunt ſine alterius corruptione, atque altera alteri potius adiicitur ad actionem, quam confuſionem parit. *l. 93. §. 2. D. de ſolut. et liberat.*

§. IV.

Secus res ſe habet, quando obligatio *principalis*, et *acceſſoria*, in una perſona coniunguntur, id eſt, ſi fideiuſſor reo principali, aut hic illi,

Acceſſoria autem obligatio, ſi cum principali ad eundem peruenit, per-

denitur, niſi fortior, aut benignior ſit.

illi, ut heres, ſuccedit. Tunc enim uim perdit acceſſoria obligatio, et principalis, tanquam potentior et plenior, ſolum attenditur, niſi forte acceſſoria fideiuſſoris obligatio fortior ſit, aut creditori benignior, quam principalis, *l. 5. D. de fideiuſſor.* e. g. ſi fideiuſſor pignus dedit, uel ſub hypotheca bonorum promiſit, omnique iuris auxilio, ſpeciatim excuſſionis, renunciauit, ubi debitor principalis ſolo duntaxat pacto promiſerat: item, ſi creditori ex bonis fideiuſſoris plenius, citius, et facilius ſatis fieri queat.

Ceſſante uero principali obligatione, acceſſoria ſimul cadit.

Obligatio autem principalis non inanis, aut imperfecta, ſed utilis eſſe atque efficax ſupponitur. Vbi enim principalis debitor iure haud obligatur, ibi nec fideiuſſor ualide accipitur. *l. 70. §. 4. D. de fideiuſſor.* Quod tamen non intelligendum eſt de caſu, ſi quis ſciens pro pupillo, prodigoue, uel furioſo, neglecta tutoris, uel curatoris, auctoritate, ſine qua eiuſmodi perſonae, exce-

excepto delicto et quaſi contractu, *l. 46. D. de oblig. et act.* iure non obligantur, fidem ſuam interpoſuit. Huic enim, magis eſt, ut non ſubueniatur, quoniam mandati actio ei non competit. *l. 13. pr. D. de Minor. l. 25. D. de Fideiuſſor.* Quapropter non uelut fideiuſſor, ſed tanquam principalis debitor, ſoluere debet, niſi creditoris dolus malus, ſiue in negotio principali, ſiue in fideiuſſione, interceſſerit. Tunc enim talis etiam fideiuſſor iuuatur, *l. 2. C. de fideiuſſ. minor.* ſiquidem exceptiones, quae non cum ſola debitoris *perſona*, ſed ipſa *re* et *cauſa*, ut *doli mali, metus, etc.* cohaerent, ad fideiuſſores tranſeunt. *l. 7. §. 1. D. de Exception.* Alius reperitur caſus, ubi pupilli et minoris fideiuſſori conſulitur, ſi nimirum creditori nihil deperit, ſed actio eius ſalua manet. Hoc accidit, ſi pupillus, hereditatis cauſa, fideiuſſores dederit, eaque poſtea ſe abſtineat. Nam hac abſtinentia etiam fide-

iuſſo-

iuſſoribus ita ſuccurritur, ut ex hereditario contractu conueniri nequeant. *l. 89. D. de acquir. uel omitt. hered.* Quod ſi porro debitor, cui fideiuſſor heres extitit, propriam et perſonalem habuit defenſionem, e. g. auxilium reſtitutionis in integrum ex iuſta cauſa, dici nequit, non tolli fideiuſſoris obligationem. Hac enim defenſione fideiuſſor, debitoris heres, intra conſtitutum tempus, uti non prohibetur *l. 95. §. 3. D. de ſolut. et liberat.* modo eam, tempore obligationis acceſſoriae, nondum ſciuerit, neque illa ſponte ſua ſe abdicauerit. Quoties denique reus ſatis dandi reo ſatis accipiendi heres extiterit, id eſt, debitor ſucceſſerit creditori, toties fideiuſſores ideo liberantur, quia pro eodem eidem debere non poſſunt, *l. 34. §. 8. D. de ſolut. et liberat.* ſiquidem heres et defunctus, fictione iuris, pro una perſona habentur. *Nou. 48. in praefat.*

§. V.

Digitized by Google

§. V.

Saluum quoque eſt creditori beneficium ſeparationis, quod ad bona debitoris, ac fideiuſſoris, ſpectat.

Quamuis autem obligatio fideiuſſionis, ſi debitor fideiuſſori, uel hic illi, heres extitit, extincta ſit, nihilominus beneficium ſeparationis bonorum debitoris, ac fideiuſſoris, ſaluum eſt, atque impetrabitur, petente eo, cui fideiuſſor fuerit obligatus, ſiue ſolus ſit hereditarius creditor, ſiue plures. Neque enim ratio iuris, quae cauſam fideiuſſionis propter principalem, eamque maiorem, obligationem excluſit, patitur, damno affici creditorem, qui ſibi diligenter proſpexerat. *l. 3. pr. D. de Separat.*

§. VI.

De confuſionis ſubiecto.

Deinde, ratione *ſubiecti*, ad confuſionem duo homines requiruntur, quorum uni ius crediti, alteri uero ius debiti, adhaeſit, ſed poſtea utrumque ius ad unum eundemque deuolutum. Quod ſi uero ius crediti, ſiue ius debiti, in ter-

tium aliquem, alterius iuris correlati expertem, transfertur, confuſio aliqua induci nequit, ſed ad illam neceſſarium eſt, ut ius quoddam, alterius iuri relatiue oppoſitum (neutiquam diſpar) ad alterum tranſeat, adeoque unius eiuſdemque iuris, actiui et paſſiui, ſubiectum conſtituatur.

§. VII.

Ad quod diuerſis caſibus illuſtratur.

Diuerſus igitur caſus eſt, ſi is, qui, emto fundo, ſatis de euictione acceperat, eundem fundum uendiderit, atque emtori ſuo, uel e contrario hic emtor uenditori ſuo, heres extiterit, uel utriuſque, tam uenditoris, quam emtoris, hereditas eidem peruenerit. Tunc enim fideiuſſores nihilominus obſtricti manent, atque, euicto fundo, agi contra illos poterit, quoniam, docente ICto PAVLO, et hoc in caſu, quando debitor creditori, aut creditor debitori, ſuccedit, ratio quaedam inter heredem et hereditatem

tem ponitur. Quod ſi enim debitor creditori ſuo ſucceſſit, maior hereditas ad debitorem peruenire, quaſi ſoluta pecunia, quae debebatur hereditati, et per hoc minus in bonis heredis eſſe, intelligitur. Contra ea, ſi creditor debitori ſuo ſucceſſit, minus in hereditate habere uidetur, perinde ac ſi ipſa hereditas heredi ſoluerit. *l. 41. §. 2. D. de Euiction.* Cum quoque iure Saxonico Electorali debitum, pro quo feudum legitime fuit oppignoratum, ſimpliciter ex feudo, non excuſſo allodio, ſoluendum ſit, CONST. ELECT. SAXON. *46. P. II.* ſequitur, ut ſimultanee inueſtitus, qui in eiuſmodi debitum et hypothecam feudalem conſenſit, quandoquidem defuncto uaſallo debitori ſolum in feudo, feudalis autem creditor ei in allodio ſuccedit, ſe tueri nequeat exceptione confuſionis, ſi heres iſte allodialis, ut creditor feudalis, ius ſuum in iudicio perſequatur.

Digitized by Google

§. VIII.

Modus confundendi ſub titulo heredis uniuerſali, immo ſingulari, fieri ſolet.

Deinde in *modo* atque *effectu* confuſionis deſideratur, ut creditor iura ſua actiua in debitorem ſuum, ſiue debitor iura ſua paſſiua in creditorem ſuum, titulo heredis uniuerſali, uel etiam eiuſmodi titulo ſingulari, qui pro ſolutione, uel compenſatione, cedit, transferat, atque alter alterius modum tranſmittendi acceptum habeat. Quo facto, certo certius eſt, omnem obligationem mutuam confuſione tolli. *l. 75. l. 95. §. 2. D. de Solution. et liberat.* Atque hoc loco notandum, ſolam *hereditatis delationem* ad confuſionem non ſufficere, ſed requiri ſimul *aditionem*, ut heres nimirum uerbis, uel facto, declaret, ſe heredem eſſe uelle. Add. *l. 80. D. ad SCt. Trebellian.*

§. IX.

De confuſione ſeruitutum,

Seruitutes praediorum confunduntur, quando idem

Digitized by Google

idem utriuſque praedii, tam ſeruientis, quam dominantis, dominus, ſiue actu inter uiuos, ſiue mortis cauſa, eſſe coeperit. *l. 1. D. Quemadm. ſeruit. amitt.* Nulli enim res ſua ſeruit, *l. 26. D. de Seruit. praed. urban.* et nemo ſibi ipſi ſeruitutem debet. *l. 10. D. Commun. praedior. tam urban. quam ruſtic.* Si quis igitur aedes, quae ſuis aedibus ſeruirent, cum emiſſet, traditas ſibi accepit, confuſa ſublataque ſeruitus eſt. Et, ſi rurſus uendere uult, nominatim imponenda ſeruitus eſt, alioqui liberae ueneunt. *l. 30. D. de Seruit. praed. urban.*

§. X.

Excipiuntur tamen ſeruitutes *reales*, quae dicuntur *continuae* ac *perpetuae*, e. g. ſeruitus *oneris ferendi, tigni immittendi, ſtillicidii recipiendi etc.* quippe quae, quamdiu unus idemque praedii, et dominantis, et ſeruientis, dominus

et quiete earum, quae continuae dicuntur,

nus exiſtit, ſua natura potius quieſcere tantum, quam exſpiraſſe, mutatoque iterum domino, reuiuiſcere et tacite redintegrari uidentur, niſi factum nouum, eiuſmodi ſeruituti contrarium, interueniat, aut aliud nominatim per conuentionem, uel teſtamentariam diſpoſitionem, actum ſit. Etenim hae ſeruitutes uix aliter concipi poſſunt, quam ut ita ſint, et permaneant, uti nunc ſunt. *l. 17. l. 33. D. de Seruit. praed. urban.* Neque, exceptionem noſtram ab *lege 30. D. eod.* et *lege 10. D. Commun. praed. tam urban. quam ruſt.* improbari, ueriſimile eſt. Quod ſi acquiſitum praedii dominium *reuocabile* fuit, e. g. ſi maritus fundum Titii ſeruientem dotali praedio acquiſiuit, aut ſi quis fundum ſeruientem cum pacto de retrouendendo emit, ſeruitus pro extincta non habetur, ſed eius exercitium duntaxat ſuſpenditur, ac, reddito fundo, ſeruitus reſtaurari debet. *l. 7. D. de Fundo dot.*

Atque ſuſpenſo exercitio.

§. XI.

§. XI.

Quando ſerui-tus pro parte retinetur.

Si quis uero aliquam tantum partem praedii, quod ſuo ſeruit praedio, uel cui ſeruitur a ſuo, nactus ſit, non confunditur ſeruitus, ſed ex parte retinetur, *l. 30. D. de Seruit. praed. urban.* licet ab initio per partes, ſcilicet indiuiſas, acquiri non potuerit. *l. 8. §. 1. D. de Seruit.*

§. XII.

Quando ſerui-tus in ſummo et imo fundo ſalua manet.

Secundum *l. 15. D. Quemadm. ſeruit. amitt.* ſeruitus toties confunditur, quoties ea is, ad quem pertinet, uti nequit. Quapropter, ſi cui ſeruitus ruſtica per plures fundos debeatur, et medium ille fundum acquiſiuerit, ſeruitus manet, quia nihilominus conſiſtere, et primo, ultimoque, in fundo exerceri poteſt.

§. XIII.

Interdum me-dius locus, ſer-uiens, confuſio-

In lege *31. D. de Seruit. praed. ruſtic.* alius proponitur caſus de tribus continuis trium dominorum

uem ſeruitutis in ſummo et imo fundo impedit.

norum praediis adiectis, atque imi praedii domino, qui ſuo imo fundo ex ſummo fundo ſeruitutem aquae quaeſierat, eamque per medium fundum, domino concedente, in ſuum agrum duxerat, poſtea uero ſummum fundum emit, ac deinde imum fundum, in quem aqua inducta erat, uendidit. Vbi quaeſitum eſt, num imus fundus id ius aquae amiſiſſet, quia, cum utraque praedia eiuſdem domini facta eſſent, ipſa ſibi ſeruire non potuiſſent? Sed negauit ICtus IVLIANVS, imum fundum amiſiſſe ſeruitutem, quia praedium, per quod aqua ducebatur, alterius fuerit. Quemadmodum enim ſeruitus ſummo fundo, ut in imum fundum aqua ueniret, imponi aliter non potuit, quam ut per medium fundum duceretur, ſic eadem ſeruitus eiuſdem fundi amitti aliter nequit, niſi eodem tempore etiam per medium fundum aqua duci deſierit, aut omnium dominorum tria ſimul

prae-

praedia unius domini facta ſint. Hinc apparet, locum medium, quoad ſeruit, ſeruitutis ruſticae confuſionem, reſpectu ſuperioris et inferioris fundi, impedire. Quod ſi autem ruſticis in praediis medium praedium non ſeruit, ſed liberum eſt, ſeruitus omnino impeditur. *l. 7. §. 1. D. de Seruit. praed. ruſtic.*

§. XIV.

De confuſione qualitatis rerum, ſi ſtatus familiae mutatur.

Praeterea, ſtatu familiae mutato, *bonorum qualitatis* confuſio fieri ſolet. Quando enim filiusfamilias peculium, ſiue profectitium, ſiue aduentitium, ſiue caſtrenſe, ſiue quaſi caſtrenſe, habet, hoc ipſum, ſimulac iſte paterfamilias factus eſt, nomen ſuum amittit, et cum aliis bonis ſuis confunditur, *l. fin. §. fin. C. de inoff. teſtam.* quoniam liber paterfamilias peculium, ſtricte et proprie ſic dictum, ſcilicet a paternis rationibus, patre permittente, ſeparatum, habere nequit. *l. 182. D. de Verb. ſignif.*

Digitized by Google

§. XV.

Modo confuſionis, modo conſolidationis uox uſitatior.

Breuiter et in tranſcurſu animaduertendum, me diffiteri nolle, *confuſionis* uocem uſitatiorem eſſe, ſi mutuum pecuniae debitum, et reciprocae actiones, inter ſe miſceantur, atque in unam perſonam conferantur. *l. 8. et 17. D. de his, quae ut indign. l. 7. C. de Pact. Conſolidationis* enim uerbum plerumque uſurpatur, quando iura realia in eandem rem et perſonam confluunt, uel illa, quae a ſolido diuulſa erant, iterum ſe ſolido iungunt, et uelut in unum redeunt. In *l. 3. §. 2. et l. 6. pr. D. de Vſufr. accreſc.* uſusfructus etiam conſolidatus dicitur, ſi pluribus legatus ſit, atque uni accreſcat. Interdum tamen confuſionis et conſolidationis uocabula promiſcue accipi, et perinde ad realia, atque perſonalia iura, quando ſcilicet ad eundem deuoluuntur, accommodari ſolent. Ita, ſi uſufructuarius proprietatem, uel dominus proprie-

Vtraque etiam promiſcue uſurpatur.

Digitized by Google

proprietatis uſumfructum, aſſecutus fuerit, confuſio et conſolidatio exoritur. *l. 4. D. Vſufruct. quemadm. caueat.* *l. 27. D. Quib. mod. uſusfr. amitt. l. 6. D. de Manum. teſtam.*

§. XVI.

In mutuo debito confuſio fit tantum ea ex parte, qua creditor debitori, aut hic illi, heres exiſtit.

At enim uero creditor et debitor uel ſibi inuicem ſoli, et ex aſſe, ſuccedunt, uel coheredes habent. Priori caſu, obligatio, ſiue actio, in totum, poſteriori autem, ex ea tantum parte, qua quis coheres factus eſt, confuſione extinguitur, in reliqua autem hereditatis ſubſtantia obligationes, et actiones, coheredibus, et aduerſus coheredes, pro rata ſaluae manent. *l. 1. l. 5. l. 6. C. de hered. act. l. 7. C. de Negot. geſt. l. 7. C. de Pact. et l. 14. C. ad L. Falcid.* Ergo, ſi creditor debitori ſuo pro parte heres extiterit, et fideiuſſor forte coheres ſit, quod ad ipſius quidem creditoris, ut heredis,

 portio-

Digitized by Google

portionem attinet, obligatio ratione confuſionis intercidit, aut, (quod eſt uerius,) ſolutionis poteſtate, ſed pro parte fideiuſſoris, tanquam coheredis, obligatio ſalua eſt, non fideiuſſoria, ſed hereditaria, quoniam maior tollit minorem. *l. 50. D. de Fideiuſſor.*

§. XVII.

Euitatur autem confuſio ope inuentarii, uel iuratae ſpecificationis.

Suorum tamen, et defuncti, iurium confuſionem, ſiue conſolidationem, euitare poteſt heres ac ſucceſſor uniuerſalis, quando inuentarium hereditatis rite conficiendum curat. Namque, hac adhibita cautione, heredis actiones, quas contra defunctum habebat, reſpectu concreditorum, nequaquam exſpirant, ſed ſaluae et integrae conſeruantur, etſi temporis praerogatiua inter plures creditores, qui ius reale, cum uel ſine perſonali priuilegio, habent, ita ſit ſpectanda, ut, qui prior tempo[illegible] ſit iure. *l. fin.*

§. 9. C. de Iure delib. Ea enim auctoritate ualet inuentarium, ut a defuncto contractum aes alienum, ipſius heredi aeque, ac reliquis creditoribus, ex maſſa hereditatis, ſecundum prioritatem, ſolui debeat. Atque, inuentarii beneficio, heredi, quod ei defunctus debebat, tam a ſe ipſo petere, quam ſibi ſoluere, et rem in ſolutum accipere, conceditur. Idem beneficium hereditati ſic prodeſt, ut, ſi hereditarius debitor ſucceſſerit, debitum eius augeat uires hereditatis. *l. fin. §. 4. ſeqq. C. de Iure deliber.* Moribus etiam inualuit, atque inprimis Iuri Saxonico Electorali conueniens eſt, ut iurata ſpecificatio inuentarium ſine diſcrimine aequiparet. *Deciſ. Elect. 57.*

§. XVIII.

Caſus, lege 75. D. de ſolut. et liberat. contentus, non eſt in ambiguis.

Ex lege *75. D. de Solution. et liberat.* etſi uix in dubium uenire poſſit, repetendum eſt, quod in confuſione perinde, atque in acceptila-

tione et liberatione, haec uerba: *uſque in praeſentem diem;* ſemper intelligantur, ut praecedentes duntaxat, neutiquam uero futurae, actiones euaneſcant.

§. XIX.

Confuſionem quoque impedit proteſtatio.

Nec ſilentio praetereundum, quod expediat, ſi heres, adeundo hereditatem, diſertis uerbis declaret: *nolle ſe ſua et defuncti iura confuſum iri.* Ita enim heres ius ſuum tuetur, atque impedit, quo minus alter, in ſui praeiudicium, aliquid acquirat. Proteſtatio enim uoluntatis noſtrae ſententiam arguit, et ius proteſtantis cuſtodit, ne id facto ſuo amiſiſſe uideatur. *l. 4. §. 1. D. quib. mod. pign. uel hypoth. ſolu. l. 14. §. 8. D. de relig. et ſumt. fun.* add. *l. 10. §. 3. D. quae in fraud. cred. l. 2. C. de annal. except.*

§. XX.

Hac autem, ceſſante facto adaequato, non opus eſt.

Vbi uero factum noſtrum nullam iuris remiſſionem inuoluit, ibi nec opus eſt, teſtari, nos hoc

hoc ius ſartum tectumque eſſe uelle. Sic e. g. ſimultanee inueſtitus, qui ſimul uaſalli poſſeſſoris creditor hypothecarius eſt, quando in contractum ipſius aes alienum, conſtitutamque aliam nouam hypothecam, ſine expreſſa iuris hypothecae prioris abdicatione, conſentit, neque ſuo crediti et hypothecae, neque prioritatis, iure cadit. Conf. *Ord. Proc. Iud. Sax. Elect. Tit. XLVI.* §. *12.* Quam ob rem ſuperfluum erit, eiuſmodi conſenſioni reſeruationem proprii crediti, connexorumque iurium, adiicere.

§. XXI.

Nec renunciatio iuris praeſumitur.

Minime ſcilicet iuris alicuius renunciatio, uel remiſſio, utpote quae ſpeciem donationis habet, praeſumitur, niſi de illa nominatim actum ſit, ſed quaeuis alia leuior praeſumtio potius, quam coniectura donationis, admitti ſolet. *l. 28.* §. *2. D. de Pact. Cap. 7. X. de Renunciat.* Quam

ob

Digitized by Google

ob rem actus, unius iuris gratia celebratus, ad alterum ius non magis extenditur, quam ſi iura illa ad diuerſas perſonas attinerent. Ac ſemper, cuius iuris reſpectu quid geſſerit quiſpiam, probe conſiderandum. Omnis enim actus ex cauſa, qua quis ad peragendum negotium motus fuit, interpretationem recipit. Neque ulla ratio hoc ueriſimile reddit, ut quiſquam ius, multis forte expenſis et laboribus acquiſitum, inprimis beneficium, quo ſuſtentari debet, facile, ſine magna cauſa, ſua ſponte reſignet. Ideo ſuperuacuum eſſe non credit Pontifex Romanus, CLEMENS III, cauſam reſignationis diligenter inquiri, eamque, ſi forte probabilis inuenta, id eſt, non ui, nec metu, nec oppreſſione, nec interuentu pecuniae, nec promiſſione, extorta ſit, admitti. IDEMque eius, qui ſpontaneam negat renunciationem, habito ad dignitatem et opinionem reſpectu, probationes admittendas eſſe, atque,

Digitized by Google

atque, ut is, qui melius probauerit, in cauſa obtineat, decernit *Cap. 5. X. de Renunciat.*

§. XXII.

Ius offerendi licitum.

De cetero in concurſu creditorum poſteriori creditori hypothecario omnino permiſſum eſt, priori ſatisfacere, quo ipſe citius ſolutionem ſui debiti conſequatur. *l. ult. C. de his, qui in prior. credit. loc. ſucced.* CARPZOV. *P. I. C. 28. Def. 133. num. 5. et Def. 135.* Simili ratione domino feudi directo, iura creditorum feudalium, ſoluendo, uel tranſigendo, redimere integrum eſt. *Deciſ. Elect. Nou. 31.*

§. XXIII.

Refertur caſus ſingularis de confuſione, ubi, ceſſo uno correo debendi per liberalitatem Principis liberato, alter cor-

Scabinatus Regio-Electoralis, hic florens, M. Septembri anno cIɔIɔccxLv. de ſingulari caſu, interpoſita a reo conuento leuteratione, conſulebatur. Cuius, utpote a praeſenti argumento non alieni, mentionem facere lubet. *Iudaeus* quidam,

Digitized by Google

reus ſimul liberabatur.

dam, ob mutuam datam *Titio* ſummam 3000. thalerorum, chirographum cum inſerta clauſula: ut reſtitutio ſecundum rigorem Iuris cambialis fieri deberet; ab illo, et ſimul a *Meuio*, ſubſcriptum, acceperat, eamque pecuniae ſummam *Caio* per modum indoſſamenti, ut uocari ſolet, ceſſerat. Sed, ante exactionem, non ſolum *Iudaeus*, indoſſans, ſiue cedens, uſurariae prauitatis, in hoc negotio exercitae, accuſabatur, uerum etiam *Caius*, indoſſatarius, ſiue ceſſionarius, uelut huius criminis conſcius, et fraudis *Iudaei* particeps factus, arguebatur. Interea, dum inquiſitio contra utrumque pendebat, *Titius* a Principe impetrauerat, ut ipſi ſummam, dicto in chirographo promiſſam, ſi in commiſſum caderet, et fiſco adiudicaretur, donaret. Quo facto, per latam ſententiam, *Iudaei* uſurarii, partim confeſſi, partim conuicti, prauitas amiſſione laudati crediti coërcebatur, idque ex gratioſo Principis

reſcripto

Digitized by Google

reſcripto debitori, *Titio*, qui in locum et iura fiſci ſucceſſerat, addicebatur, uel potius is ſolutione debiti, chirographo ſuo contenti, liberabatur. Inſuper *Caius*, ſecundum eandem ſententiam, de ſcientia criminis *Iudaei*, et fraudulenta colluſione cum iſto, iureiurando ſe purgare debebat. Praeſtito hoc iuramento, *Caius*, qui iurato quoque datum pecuniae ualorem affirmauerat, ceſſam ſummam nihilo minus a *Titio* poſtulabat, atque, ut ſibi ex depoſitis eius nummis fieret ſatis, ſub euentuali prouocatione ad Principem, urgebat. Reiecta autem prouocatione, *Caius* ex ceſſo chirographo *Meuium*, tanquam correum debendi, aeque principaliter et in ſolidum obligatum, conueniebat, et quaerebatur, num inſtituta actio contra *Meuium* locum haberet?

§. XXIV.

Primo quidem intuitu res *Caii* ſalua, eiuſque inten- *Quaedam argumenta ceſſio-*

nario prodeſſe uidebantur.

intentio ſatis fundata, uidebatur, quoniam ceſſus chirographus, cui clauſula cambialis adiecta, in ipſius manibus remanſerat, atque exceptiones, ex perſona et facto indoſſantis fluentes, in cauſa cambiali, lege prouinciali ita iubente, opponi nequibant, et ius, ex ceſſione, inprimis oneroſa, quaeſitum, tertio innocenti ne a Principe quidem auferri poterat.

§. XXV.

Sed plura et maiora obſtabant.

At enim obſtabat maxime, quod unius correi debendi liberatio alteri etiam correo proſit, *§. 1. I. de duob. reis ſtipul. l. 2. D. de duob. reis conſtit.* nec bona fides patiatur, ut bis idem exigatur. *l. 57. D. de R. I.* Deinde ceſſum debitum, ante litem motam, concurſu et confuſione crediti et debiti, ipſo iure iam extinctum erat. *Caius* etiam, etſi eodem in proceſſu, quo cedens *Iudaeus*, cauſa cognita, credito ſuo priuabatur, impli-

implicitus, nullum iuris remedium contra hanc ſententiam priuatoriam adhibuerat, immo iam in ſimillima petitione aduerſus alterum correum, *Titium*, ſuccubuerat. Nec iusiurandum, a *Caio* praeſtitum, poſt iam ſublatum obligationis uinculum, nouum ius agendi tribuebat, ſed eius uis et effectus tantum in eo, ut *Caius* a ſtatuta uſurariae prauitatis poena immunis eſſet, conſiſtebat. Tum *Caius* Principis placitum, actionem contra *Meuium* proſequendi, cuius impetratio ipſi in ſententia, ſub poena praecluſi et iactura actionis, iniuncta erat, intra tempus definitum non procurauerat. Porro in documento, ex quo agebatur, uox: Wechſel, ſiue Wechſel-Brief; non uſurpata, ſed prorſus omiſſa, et duntaxat clauſula: die Zahlung nach Wechſel-Recht zu leiſten; inſerta, adeoque incertum et dubium, an hoc documentum pro formali ac perfecto cambio habendum, et diſpoſitio legis prouincialis, de non admittendis

exceptionibus, quae ex perſona et facto indoſſantis oriuntur, ad illud documentum trahenda. Cui accedebat, quod indoſſamentum illicito modo factum, poſt litem motam demum completum, ſiue extenſum, et retro datum erat. Quibus, ſtatim liquidis, argumentis probe expenſis, Scabinatus Vitembergenſis pronunciabat, *Meuium*, conuentum, ab inſtituta actione merito abſoluendum eſſe, *Caio* tamen regreſſum contra cedentem *Iudaeum*, ut indemnis ſeruetur, atque id, quod interſit, conſequatur, patere. Placet, ipſam ſententiam cum rationibus decidendi, coronidis loco, addere.

Ideo ceſſus correus debendi abſoluebatur, ceſſionarii tamen regreſſu contra cedentem reſeruato.

P. P. Alß derſelbe uns Leuterungs-Schrifft, und erfolgte Geſätze, in Sachen derer Anwälde, Herrn Hermanns, Freyherrn von R-- Beklagten an einem, Philipp de W. Klägers andern Theils, ſamt vorigen ergangenen Acten in 2. unterſchiedenen Volum. zugeſchicket, und ſich ꝛc. Demnach ſprechen ꝛc.

Nun-

Nunmehro aus denen Acten und derer Partheyen rechtlichen Einbringen ſoviel zu befinden, daß Beklagtens Principal die libellirten 3000. Thlr. Capital, nebſt dem Intereſſe morae von der Leipziger Michaëlis-Meſſe des 1735ſten Jahres an, wie auch die in dieſer Sache aufgewandten Unkoſten, Klägers Principaln zu bezahlen nicht ſchuldig, noch mit ſeinen vorgeſchützten Exceptionibus in die Reconuention zu verweiſen, ſondern es hat Klägers Principals Suchen wieder Beklagtens Principaln nicht ſtatt. Jedoch wird demſelben, wegen der Schadloshaltung ſeinen Regreſs wieder den Juden, E. B. L. zu nehmen, billig nachgelaſſen. V. R. W. Rationes decidendi. Dieweil, Inhalts des Receſſ. Imp. de anno 1577. Tit. XVII. §. 8. wie auch nach der Landes-Ordnung de anno 1550. et 1555. dem Torgauiſchen Ausſchreiben de anno 1583. und denen Churfürſtl. Sächß. Mandaten de anno 1609. 1614. et 1625. die wucherlichen Contracte an ſich krafftlos und unbündig ſind, und darauf keine

Hülffe

Hülffe gethan werden ſoll, Hiernächſt, vor dieſer erho- benen Klage, durch Urthel und Recht der Jude, E. B. L. auf welchen das Document ſub ⊙. fol. -- Vol. I. gerichtet, propter uſurariam prauitatem, des dar- innen verſchriebenen Capitals vor verluſtig erkläret, und, daß ſolches dem einen Correo debendi, Herrn F. M. Baron von W--, nach Anleitung des dißfalls ergangenen allergnädigſten Reſcripts, eigenthümlich anheimgefallen, erkannt, mithin dieſer Correus de- bendi, ſo in des Fiſci Regii Iura getreten, von der Bezahlung gänzlich befreyet, ſowohl Klägers Princi- pal, nach genugſamen Gehör, und praeuia cauſae cognitione, mit ſeinem darwieder gemachten Einwen- den, und der nichtsdeſtoweniger geſuchten Solution, bereits abgewieſen, und ſeine Appellation cum clau- ſula reiiciret worden, ſolchergeſtalt aber, wegen Un- gültigkeit des zum Grunde der itzigen Klage gelegten Documents ſub ⊙. fol. -- Vol. I. und der getilgten Schuld, ſchon res iudicata et deciſa vorhanden, Klä-

ger

Digitized by Google

ger auch deſſen nicht abredig, und es aus denen gericht-lich vidimirten Abſchrifften und Extracten fol. -- ſeq. Vol. I. welche nach der III[ten] Churfürſtl. Sächß. Deciſion ſattſam probiren, mit mehrern erſcheinet, Bey welcher Bewandnis, und da die Liberatio des einen Correi debendi dem andern Correo, ad effectum liberationis, ebenmäßig zu ſtatten kommet,

§. 1. I. de duob. reis ſtipul.

l. 2. D. de duob. reis conſtit.

von Beklagtens Principaln keine Solution mit Beſtande weiter gefodert werden mag,

quoniam res, in obligationem deducta, ſemel tantum, non bis, debetur,

l. 57. D. de Regulis Iur.

dann der §phus 15. im Anhange der erläut. und verbeſſ. Churfürſtl. Sächß. Proceß-Ordnung ausdrücklich von einem indoſſirten Wechſel-Brieffe handelt, in dem Documente ſub ⊙. fol. -- Vol. I. aber das Wort: Wechſel, oder Wechſel-Brief; ermangelt, und, daß es dergleichen ſeyn ſoll, darinnen nicht expri-

 miret,

miret, alſo auch ſelbiges, zumahl es nur auf ein Blanquet extendiret, davor ſo ſchlechterdings nicht geachtet, noch darauf, zu Beklagtens Principals Nachtheil, die Diſpoſition im gedachten §pho 15. daß nemlich die ex perſona et facto indoſſantis herrührende Exceptiones unzuläßig, gezogen werden kan, ſondern Beklagtens Exceptiones peremtoriae, in continenti liquidae, billig zu attendiren, und er damit nicht erſt in die Reconuention zu verweiſen, Immaſſen, bewährter Rechts-Lehrer Meynung nach, ad formam et perfectionem cambii, daß das Inſtrument ein Wechſel, oder Wechſel-Brief, benennet werde, und dieſes Wort darinnen ſtehe, vonnöthen iſt,

QVINT. SEPT. FLOR. RIVINI *Enunc. Iur. ad Ord. Proceſſ. Iud. Sax. Elect. Tit. XXV. §. 22.*
HORN. *Cl. XI. Reſp. 100.* ibique cit. DD.
LVDOVICI Einleit. zum Wechſel-*Proceſs, Cap. II. §. 8.* add. *Cap. III. §. 5.*

und noch zweifelhafft, ob die einer Schuld-Verſchreibung inſerirte Clauſul: die Zahlung nach Wechſel-Recht

Recht zu leiſten; ſolche zu einem ordentlichen Wech-ſel-Briefe zu machen, oder ſelbiger, auſſer der Ver-pflichtung zum perſonal-Arreſte, alle übrige Effe-ctus formalis cambii, indem das Negotium cam-biale, als res ſingularis et odioſa, ſtricti iuris und ſtrictae interpretationis iſt, beyzulegen hinlänglich,

Conf. IO. FLOR. RIVINI *Conſider. For. de Clauſ. camb.* §. 3. *ſeq.*

auch allhier wieder Beklagtens Principaln nach Wechſel-Recht, oder mit dem perſonal-Arreſte, da von der Verfall-Zeit an die geſetzten 4. Jahre vor-längſt verfloſſen, nicht verfahren werden mag, und um deswillen aus oft angeregtem Documente blos executiue geklaget worden, Ferner die angegebene 3. Indoſſements iuxta fol. -- Vol. I. in bianco un-gültiger Weiſe geſchehen, und erſt hernach, poſt litem motam, compliret, auch die zwey erſteren ſub D. et 2. fol. -- Vol. eod. zurück datiret werden,

Vid. Nob. Dn. DE BERGER *Oecon. Iur. Lib. III. Tit.* 7. §. 6. *not.* 3.

darneben des Juden, E. B. L. an Klägers Principaln ausgeſtellte Obligation ſub ⊙. d. d. Dreßden den 3ten Ianuarii 1735. fol. -- Vol. II. daß jener dieſem das ſtreitige Document ſub ⊙. fol. -- Vol. I. zu einer andern Zeit, als das extendirte Indoſſement ſub D. datiret, zum Unterpfande gegeben, und reſpectiue indoſſiret, ausweiſet, Im übrigen Beklagtens Principal das rechts⸗kräfftige Decret fol. -- Vol. I. vermöge deſſen Klägers Principal die allergnädigſte Reſolution auf ſein allerunterthänigſtes Supplicat, wegen Proſecution der Klage, binnen Sächß. Friſt, bey Verluſt ſeiner Anſprüche, anſchaffen ſollen, vor ſich hat, woraus derſelbe, da Klägers Principal ſolchem Decret keine Folge geleiſtet, ein Ius quaeſitum, welches ihm nicht zu benehmen, erlanget, Endlich der von Klägers Principaln iuxta fol. -- Vol. I. geleiſtete Reinigungs⸗Eyd ihn blos von der Straffe abſolviret, hingegen ihm daraus, poſt iam extinctam obligationem, kein nouum ius agendi wieder Beklagtens

Prin-

Principaln erwachſen, Jedoch Klägers Principaln, wegen der Schadloshaltung ſeinen Regreſs wieder den Juden, E. B. L. zu nehmen, frey bleibet, ingleichen er, in Anſehung des ihm in Händen gelaſſenen Documents, und geſchwornen Iuramenti purgatorii, wie auch im letztern Decreto geſundenen Beyfalls, pro temere litigante nicht zu achten, Worzu kommt, daß Beklagter ohne dis bey dem Leuterungs-Petito fol. -- Vol. II. den Erſatz derer Unkoſten nicht gebeten: So ſind wir, wie im Urthel enthalten, zu ſprechen bewogen worden.

COROLLARIA.

I.

Confundenda non ſunt officia promiſcuis actibus rerum, neque, aliis credita, ullus ſubtrahere debet. *l. 23. C. de Teſtam.*

II.

Confundi etiam prohibentur gradus ciuium, maxime in rerum ac portionum inaequalium diſtributione.

III.

Confundi uero poſſunt fines agrorum fluminis irruptione et inundatione, *l. 8. pr. D. Fin. reg.* uarietate ſucceſ-

Digitized by Google

ſucceſſionum, et arbitrio poſſeſſorum, additis uel detractis agris, *l. 11. D. eod.* ac deiectis uel exaratis terminis, ſuccisis arboribus, aut aedificio in fine poſito, etc. *l. 4. §. 3. et 4. D. eod.* Atque in re dubia permittitur iudici competenti, finium confuſorum controuerſias dirimere per adiudicationem et condemnationem, ita, ut is, cui ex alterius praedio aliquid adiudicatur, pro adiudicato certa pecunia condemnetur, *l. 2. §. 1. l. 3. D. Fin. reg.*

IV.

Confundi res dicuntur, quando res alienae eiuſdem generis et naturae ita commiſcentur, ut deduci et ſeparari nequeant, aut certe difficilis ſit earum ſeparatio. Quo in caſu communi diuidundo agendum eſt, et unusquisque ratam ſui quanti, iureiurando, ſi incertum ſit, confirmandi, uindicat. *l. 3. §. 2. D. de Rei uindicat.*

V.

Sed et furti, et ad exhibendum, tenetur, qui dolo malo res ſuas et alienas confundendas curauit, ita, ut in actione ad exhibendum pretii ratio haberi debeat ex iuramento in litem; in uindicatione uel communi diuidundo actione autem confundens tanto maius pretium ſoluat, quanto pretioſior alterius res confuſa fuerit. *l. 4. D. de Rer. uindicat.*

VI.

Seruus, a domino proprietatis uſufructuario noxae datus, huius eſſe incipit, adeoque uſusfructus ſerui alieni confuſione ſeruitutis, uel conſolidatione proprietatis, extinguitur. *l. 27. D. quib. mod. uſusfr.* add. *l. 4. D. Vſufruct. quemadm. cau.*

AMPLIS-

AMPLISSIMO ET CLARISSIMO

IVR. VTR. CANDIDATO

SALVTEM PLVRIMAM

DICIT

PRAESES.

Facere non poſſum, quin TIBI, AMPLISSIME ET CLARISSIME CANDIDATE, *ut debeo et mereris, ſincera mente gratuler cum praeſentem, tum etiam futuram* TVAM *dignitatem. Dici nequit, quanta laetitia affectus ſim, cum, in* TVAM *ueniendi familiaritatem, occaſio tulit. Namque* TE *cognoui hominem ſummae probitatis, et mirificae, quae omnes ad ſe allicit, humanitatis. Honeſtiſſimis uero* TVIS *literarum et doctrinae ſtudiis, ſingularique rerum metallicarum peritia, ualde delectatus ſum, atque ingenium et iudicium* TVVM *multa cura limatum ubique re-*

F *peri.*

Digitized by Google

peri. Profecto peregrinationes TVAE *in Bataniam, Angliam, Galliam, quibus praeclara uirtutis* TVAE *indoles optimis artibus, plurimoque rerum uſu, aucta eſt,* TIBI *bene et feliciter euenerunt. Sicut igitur induſtria, patientia, et labore, mature* TE *ad ea, quae in re publica, inprimis metallorum cauſa, prouidenda ſunt, praeparaſti, ita non dubitandum, fore, ut in partibus, fidei ac poteſtati* TVAE *committendis et credendis, maximam ſpem et expectationem impleas. Quo religioſius Deum immortalem precor, ut ſummos, qui* TE *expectant, in utroque iure honores merito* TVO *fauſtos et ſalutares eſſe iubeat,* TE*que,* HONORATISSIMOS TVOS PARENTES, *ac totam ſplendidam Familiam, ſaluos et incolumes perpetuo ſeruare, conſilia fortunare omnia; et tantum boni, quantum* TIBI *opto, atque* IPSE *expetis, pro immenſa ſua benignitate, in* TE *conferre uelit. Vale, et faue* TVI *obſeruantiſſimo.*

NOBI-

NOBILISSIMO AC POLITISSIMO

DOMINO

ÇAROLO FRIDERICO TRIER

S. P. D.

ERNESTVS MARTINVS CHLADENIVS D.

Vere tanti eſt, ſtrenue rem agere in templo uirtutis. Scilicet, quanto maiori cum religione ac ſanctimonia colitur amabilis Dea, tanto largiori fructu, tanto lautioribus praemiis, illa beat ſui cultorem. Talem efficit, qualis ipſa eſt, nempe amabilem bono cuique. Nec amorem modo, ſed uenerationem et ſtudia hominum, conciliat, ſed nominis famam, laudem et gloriam, impertit, ſed publicis honoribus a populo ſecernit,

Digitized by Google

et, ut plane rem eloquar, aeternitati conſecrat, cultorem ſui. Illuſtribus huius rei experimentis, ne reliqua gentilitia decora memorem, abundat Gens Illuſtris, cui TV, VIR NOBILISSIME, *et nomen debes, et ſanguinem. Pertinet ad Gentis ſplendorem et amplitudinem, quod, quiſquis* FORTIA FACTA PATRVM *aeſtimet, is Eam non tantum uirtutis cultu memorabilem dicat, ſed prorſus in uirtutis ſacrario, domicilium ſibi, ſedemque perpetuam, credat, fixiſſe. Verum et hoc eſt ſplendoris argumentum, quauis exceptione maius, quod, ipſo uirtutis cultu, in tantam Illa ſe aſſeruerit claritatem, ut omni re, quam non fortuna, ſed uirtus, tribuit, abunde floreat. Floret amore et ueneratione omnium, quibus ipſa uirtus in pretio. Floret fama, laude et gloria. Floret illuſtribus*

bonorum

bonorum ſchematibus. Floret nominibus, quae pridem ipſa uirtus immortalitati conſecrauit. Illuſtribus his Gentis TVAE experimentis TV, VIR NOBILISSIME, nouum propediem es additurus. Egiſti hactenus ex more Gentis, preſſe ſecutus ueſtigia TVI Aeneae, TVI Hectoris, et quae ſunt reliqua, quae in Gentem TVAM abiere, et quae TE excitant, ueneranda nomina. Totus haeſiſti in cultu, imo in conſortio et contubernio, uirtutis. Haec lateri TVO, cum Lipſiae in ſubſelliis doctiſſimorum uirorum operoſe ageres, ſemper adſedit. Haec TE, cum, exacto ſtadio academico, in uoluntario, quod TIBI indixeras, at glorioſo, exilio uerſareris, quodam Mentoris, fidiſſimi comitis, ſchemate, ubicunque eſt comitata, per Batauos, per Gallos, per Britannos, euntem. Videlicet, in-

Digitized by Google

ter quos populos multi peregrinatores, ut Senecae ingenio utar, errant magis, quam peregrinantur, inter eoſdem TV, VIR NOBILISSIME, *ea alacritate et prudentia, rem peregrinatoris egiſti, qua ſolent, qui nobili reguntur flamma. Hi, quantumuis peregre agant, ſi audiatur idem Seneca, ſemper inter ſtudia uerſantur, et inter auctores ſapientiae, ut diſcant quaeſita, nondum inuenta quaerant. Idem hoc* TIBI *negotium. Nihil a ſtudiis* TE *diuelli paſſus, ſapientiſſimos in quoquo, quem adieras, populo, eos maxime, quibus naturae arcana in promtu, circumſpexiſti, ut eorundem aut conſortio fruereris, aut plane inſtitutioni* TE *traderes, exploraturus uel ipſum naturae, ſemper ingenioſae, ingenium. Rem loquuntur ipſae tabulae, quibus uitae* TVAE *rationes, ut modeſte, ita eleganter,*

deſcri-

deſcripſiſti. Qui igitur ſtrenuus ſemper, et totus, in cultu uirtutis fuiſti, proximum eſt, ut idem experimentum, quod Genti TVAE *ſemper feliciter ceſſit, abſoluas. Hunc fructum iam tenes, quod, ob amoenitatem ingenii, ob morum elegantiam et ſuauitatem, ob ſingularem modeſtiam, ne reliquas animi dotes exſequar, bonis omnibus habeare amabilis. Proxime capies fructus reliquos. Quam enim breui ſuſcipies, Doctoris dignitati mox illuſtriores honores, et reliquiae felicitatis cumulos acceſſuros eſſe, manifeſta eſt fides. Ego uero, cuius fidei et hoſpitio, cum nuper huc diuerteres,* TE *credidiſti, et qui, ex Veterum inſtituto,* SANCTVM *reputare ſoleo* HOSPITIS NOMEN, *haec honorum, haec felicitatis, primordia, quae, feliciſſimo omine, auſpicaris, ſine publica congratulatione mea*

cedere,

Digitized by Google

cedere, non patior. Veneror Supremum Numen, ut uberrimis his fructibus, quos TVA *uirtus* TIBI *impertit,* TE *quam diutiſſime perfrui, iubeat; ut negotiis* TVIS, *quae, in patriae commoda, ſuſceptu-rus es, uſquequaque adſpiret; ut ratum dicat omen, florentiſſimam Gentem* TVAM, *ut ex* ILLVSTRI PAREN-TE TVO *cepit, ita ex* TE *quoque, magnum ſui floris, ſui etiam ſplendoris, incrementum eſſe capturam. Vale,* VIR NOBILISSIME, TVA*que felicitate,* TVIS *honoribus,* TVO *flore et ſplendore, fruere.*

Scrib. Vitembergae XIV. Calend. Septembr.

A. O. R. cIↄIↄCCL.

A011473675

Digitized by Google